
ANN. XVI - FASC. VI MENSE IUNIO MCMXXIX

ALMA ROMA



BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

nuperrime prodiit Iosephi Fornari

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est Felix Ramorino, constans pagg. 103, editione portatu facili, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI — Romae, Mense Iunio MCMXXIX — Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE LACTANTIO

Labente tertio saeculo christiano, honesto loco natus est Lactantius in Africa; in qua tamen urbe et quo anno non liquet. Illa enim aetate, ingens sane ingeniorum foetum edidit Africa. Puer, acerrimum ac docile ingenium nactus, postquam ex domestica disciplina haud poenitendos fructus perceperat, adolescentulus Lyceam in Numidia fuit deductus. Ibi intimius litteras est primum edoctus ab Arnobio, cuius tunc maxime celebratum erat in Africa nomen. Arnobius actor summus causarum, et postea publicus litterarum magister, principem in scholis locum obtinebat. Hunc audivit, et suae equidem mentis voluptate, Lactantius; cui ita fuit deditus, ut quoad posset, ab eius latere nunquam discederet. Clarum iuvenibus exemplum!

Sic omnia fatis
In peius ruere ac retro sublapsa referri,

si adsiduus non exstiterit labor et frequens doctorum conversatio.

Hisce igitur ingenii et doctrinarum praesidiis egregie institutus ad eloquentiam, Lactantius in foro coepit versari. Brevi tantum habuit commendationis, ut nulla esset causa, quae non digna eius patrocinio videretur.

Ambo vero, Lactantius scilicet et Arnobius, magister et alumnus, falsa adhuc numinum superstitione devincti, maximam sibi famam in litteris comparaverunt, quam postea discipulus miris sane operibus, quum Christianorum sapientiam est professus, in immensum auxit.

Tum vero Lactantius, maxima rerum et hominum prudentia clarescens, Nicomediam se conferre putavit, ubi tunc temporis caput erat imperii, atque ad summa reipublicae gubernacula sedebat Diocletianus, impotens Christianorum adversarius, atque universi late orbis terrarum pernicies. Ita enim sibi melius hominumque commodis inservire credebat.

Verum quum litteris et humanitate apud omnes maxime percrebresceret, uti perhibetur, Diocletianus eum ad se vocari iussit, ut latinas litteras adolescentibus Nicomediae sapienter traderet. Sic ipse, qui nondum Christianus, divina veluti sapientia inspiratus, ad caelestia unice spectans, mortalia contemnebat, ingenii dignitatem virtute ac pietate vel insciens publice cumulavit.

Etenim, adiuvante Deo, futurum ac strenuum Christianae sapientiae adsertorem ipse imperator vocavit, ut rebus propius perspectis, Christianos ab adversariorum calumniis eruditione, doctrina

ac virtutibus vindicaret. Nec tamen maximus hic honos animum eius vel tantillum mutavit. Nicomediam itaque petiit, eo potissimum nomine, ut praeceptis philosophorum arreptis atque sapientia ad vitam agendam, non ad ostendendam uteretur.

Quam ob rem, quum in munere suo agendo aequum animum adhiberet, et specimen prudentiae egregium exerceret in civitate, quae humanitate et doctrina praestaret omnibus Asiae urbibus, cunctis, brevi post tempore, unus ante omnes civibus fuit carus atque acceptus.

Et ipse Diocletianus, qui rem romanam magno copiarum tumultu arripuerat, et milites donis, populum annona, cunctos otii dulcedine pellexit, ad se trahere Lactantium minime potuit.

Quamquam vero, odio in adversarios abreptus, in omnes insurgere paullatim coepit, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere nullo adversante, obtinuit; Lactantius parem difficillimis temporibus animum exhibuit sub teterrimo dominatu, et Christianorum iura audacter servavit.

Ferocissimi quique per acies et proscriptione ceciderant. Ceteri nobilium, quo quisque servitio promptior, opibus et honore extollebantur. Sic novis rebus aucti, tuta et praesentia quam vetera et periculosa malebant.

Insuper, idque peius, Romani passi sunt Diocletianum, relicta Roma, novam sibi urbem condere, quam Nicomediam appellavit, ubi summa rerum, admirantibus gentibus, collocaret; ad quam festinanter, pecudum propemodum more, undique omnes convenerunt.

Tunc, quiescentibus rebus externis, irruit in Diocletianum timor, ne Christiani in imperium insurgerent, quod, neglectis Romanorum numinibus, Christo unice inservirent. Novo igitur veluti odio exardescens, in omni late imperio, legibus furentibus relatis, in Christianos atrociter insaevire, in ius eos detrudere, tamquam hostes poenis exquisitissimis mulctare, plurimos ad mortem, post immania supplicia, pellere. Quot inter ipsa Nicomediae moenia damnati ultimum supplicium fortiter subierunt!

Lactantius, qui primum totus in litteris erat, rem istam sibi negligendam esse putavit, a se prorsus alienam autumans; et Christianos, quos minime novisset, vulgo pervicaces esse atque seditiosos aestimavit, atque adeo dignissimos, qui male publice mulctarentur.

Attamen, quum in dies crescerent, qui hoc uno crimine incusati, in custodiam detruderentur, poenisque atrocioribus posthabitis, animam potius ponere parati essent, quam Christum abnegare; neque inter hos tum virgines puerique innocentes, tum magistratus et milites deessent, Lactantius in se reversus, rem tacite admiratus acriusque expertus, at in primis divino consilio instinctus, caelestem Christianorum doctrinam esse cognovit.

Etiamsi serius se ad Christianorum stipendia contulerat, celeritate tamen ingenii atque opitulante Dei gratia, et familiari bonorum consuetudine, ita religionis instituta ac praecepta feliciter arripuit, ut recto profiteri possit, atque opportunitatem nactus publice ac privatim de religione constanti iudicio disserere atque ab improborum calumniis defendere non desinebat. Ad iuvenes veluti a natura vocatus accessit, eorumque mentes erudire conabatur, eo praesertim nomine, ne Christianorum sapientiam ignorantes insimularent. Ita in medio rerum turbine, christianae religionis iura ac sanctitatem retinuit atque adseruit.

Ad haec, rerum humanarum levitatem despiciens, pietate in Deum, caritate in suos ocius enituit, in miserorum fortunis sublevandis, in martyribus adiuvandis solatia vitae quaesivit.

Quo facto omnium animos ita se benevolentia devinxit, ut eum omnes in oculis ferrent. Eius scripta, quae identidem in vulgus edebat, omnes mira animorum voluptate lectitabant atque adsidua manu terebant.

Hinc novum sibi munus arripiendum esse putavit, ut religionis perniciem molientibus audacter obsisteret, neque improborum calumnia neque instantis necis periculo exterritus, libero ore ac scriptis defenderet.

Cogitanti autem mihi quonam potissimum cognomine appellari Lactantium possim, in certamine novissimo sibi proposito pro christiano nomine suscepto, occurrit opportune verbum S. Pauli ad Timotheum: *Labora ut bonus miles Christi!* Lactantius enim, in maxima rerum et animorum concitatione, homines catholicae professionis a potentiorum iniuria sollerter prohibuit, et non modo improborum convicia et impotentiam imperatorum aspernatus, turbas tunicati popelli non expavit, sed cuilibet se obiectare periculo potius habuit, quam vel tantillum a sancta Dei lege, quam unice prosequebatur, recedere.

Et hisce difficillimis temporibus id magnopere cavendum est, ne quis magnitudine periculorum terreatur, aut propter diuturnitatem malorum de sanatione desperet. Dei aequissima est atque immutabilis iustitia, et recte semper factis praemia reservat et supplicia peccatis. Gentes vero et nationes, quoniam ultra mortalis aevi spatium propagari non possunt, debitam factis mercedem ferant in terris necesse est. Ac propterea non est utique novum successus prosperos peccantibus saepe contingere, idque iusto Dei consilio, qui actiones laudabiles (neque enim est ulla gens omni laude vacans) eiusmodi beneficiorum genere interdum remuneretur. In victricia facinora intendere non iuvat; hoc unum intelligi volo, cuius rei plene est exemplorum historia, iniuste facta aliquando esse luenda, atque gravius quo fuerint diuturniora delicta. Nos Itali in mentem identidem revocare iubemur immortales Manzonii numeros:

Ben talor nel superbo viaggio
Non l'abbatte l'eterna vendetta;
Ma lo segue, lo veglia, l'aspetta,
Ma lo coglie all'estremo sospir.

Quae in compendium redacta, latine brevius diceremus:

Cernimus interdum caelum tolerere superbos;
Punit sed vigilans quos manus usque Dei!

Et Lactantius, qui volumen scripsit *De mortibus persecutorum*, sic aerumnarum initium in Diocletiano descripsit, quum purpuram aeger deponere cogitur. Rem ob oculos protinus portendit:

« Erat locus altus extra civitatem, ad millia fere tria, in cuius summo Galerus ipsa purpuram sumpserat; et ibi columna fuerat erecta cum Iovis signo. Eo pergitur. — Contio militum convocetur, — inquit senex cum lacrimis. Alloquitur milites: se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios Caesares subrogare.

« Summa omnium exspectatio, quid afferret. Tunc repente Severum et Maximianum Caesares. Obstupefiunt omnes. In tribunali Constantinus adstabat. Susurrare inter se, num Constantini immutatum nomen esset, quum in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum extendens, protraxit a tergo Daiam, Constantino repulso, et exutum veste privata constituit in medio. Mirari omnes qui esset, unde esset. Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperate novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus iniecit suam qua se exuit, et Diocles iterum factus est.

« Tum descenditur, et rheda per civitatem veteranus rex foras exportatur, in patriamque dimittitur ».

Hinc mala Diocletiani incipiunt.

Iupiter infamat seque suamque domum!

Sic Propertius Graecorum religionem vituperat; et tu, candide lector, pro *Iupiter* scribe *Diocletianus* et rem graphice exarabis.

Sed alter nos exspectat. Galerus et Diocletiano ferocior et contra Christianos acriori studio odioque agitatus, atque adeo et hîc in terris clarissima mala divinitus mulctatus in exemplum manet haud impune peccare homines quum «raro antecedentem scelestum dextruit pede poena claudo!»

Iuvat in medium ferre quod fortasse oculis suis vidit Lactantius.

«Iam decimus et octavus annus agebatur, quum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum serpitque latius. Medici secant, urunt, curant. Sed inductam iam cicatricem descindit vulnus; et rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tandem cruor sistitur.

«Nova ex integro cura: tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motu vulneratur: plus sanguinis quam ante decurrit. Albescit ipse, atque absumptis viribus tenuatur, et tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam, proxima quaeque cancer invadit, et quanto magis circumsectatur, latius saevit, quanto curatur increscit.

«Undique medici nobiles contrahuntur; nihil humanae manus promovent».

Quum vellet post admissorum veniam, in gratiam Dei redire, Christianis indulgere coepit, libertatem in custodia detentis concedere. At, historicus noster, Lactantius acerrimo iudicio scribit: «Nec tamen ille hoc facto veniam accepit a Deo; sed post dies paucos, commendatis Licinio coniuge sua et filio atque in manu traditis, quum iam totius corporis membra diffluerent, horrenda tabe consumptus est».

Sed ad Lactantium redeamus. Hic postquam in scholis est versatus, a vulgari via recedens, ineptissimas ineptias non est prosequutus, quibus nonnulli et nunc pueros vellent ad litteras institui, sed vir doctus in primis atque ingeniosus, et diuturna usus experientia, hominem illum vere civilem formare aggreditur et publicarum publicanarumque rerum administratione ac commodorum, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis posset.

Eodem sane consilio atque studio, ad scribendi munus magis incubuit ea quoque voluntate, ut religionem christianam undique vexatam pro viribus rependeret.

Primum volumen edidit, cui est titulus *De opificio Dei;* dicatum voluit Demetrio alumno suavissimo suo, quem Epicuri placita sequi sciebat, eo potissimum nomine, ut ab ipsa rerum praesentiarum historia, in Deum omnia sapienti ratione providentem rebus in humanis respiceret.

Hoc primum volumen alterum excipit atque in eodem sancto proposito permanens, nominis, christiani vindex exstitit, atque acerrime pro Christianorum incolumitate dimicavit.

Si vero minus apta et citra voluntatem peccat, et quemadmodum scribit S. Hieronymus: «Utinam tam nostra affirmare potuisset quam facile aliena destruxit», ad puritatem eloquii quod attinet, idem scriptor adserere minime dubitavit, «Lactantius quasi quidem fluvius eloquentiae Tullianae».

Lactantius, uti supra monui, rhetorem professus, dicendi artem publice docuit. Quo in munere agendo, se ita navum et industrium contulit, ut clarum nomen et opes consequeretur. Quam quidem gloriolam serius cum discipulo suo Demetrio confidentissime profitebatur hisce verbis: «Quae professio (religionis) multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati, non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam iuvenes erudiebamus».

Laudanda est imprimis pietas, praesertim quum privatus mirum in modum de religione causam tractavit eamque ab adversariis defendit.

In ipso elucet elegantia ac perspicuitas, quae maxime ab optimo quoque laudatur. Imperatorum imagines nobis exhibet graphice depictas, atque vitia quibus in universum incusantur. At nativa quadam simplicitate sponte fluit, unde et tirones germanam pure loquendi consuetudinem hauriant. Splendido ac poëtico insuper ingenio a natura donatus, suavis atque ornatus rerum gestarum narrator est; in iis, quae de imperatorum vita descripsit, omnino est ei fides adhibenda, propterea quod ea oculis propemodum suis perspexit.

Magnopere equidem gauderem, si politissimus lingua latinae auctor post involuntariam oblivionem quasi apud nos reviviseret. Utinam Afrus ita:

Sit romana potens Itala virtute propago!

I. B. Francesia.

De puerorum institutione apud Romanos

Interdum legere mihi contigit Romanos antiquioris aevi quavis penitus institutione caruisse, haud aliter ac si Romuli urbs, quae ab ipsis exordiis imperium totius orbis aperte affectabat, non hominum, non virorum conventus, sed quasi pecudum armentorumque ovile, nisi potius intractabilium cubile ferarum haberetur. At haec quanam de urbe narrantur? Nempe de ea, in qua providae rectorum mentes sanctissimis prudentissimisque legibus caverant ut singula conspirarent in civitatis iubar et incrementum; collegia religionibus addicta quamplurima constituerant, ac delicatissimum iussum dederant, quod quidem egregiae urbanitatis argumentum est, ut occursanti Romanae foeminae vir dexterum viae cederet latus. Et quonam in tempore? In eo scilicet, de quo Tullius scribit: «Inveteratis iam litteris et disciplinis Romuli aetatem venisse scimus». Et quanam in regione? In ea, quae Sabinos, quae Etruscos finitimos habebat, unde pontifices, augures, salios, ceteraque sacerdotia, annum in duodecim menses distributum, fastos nefastosque dies hausit; fasces, trabeas, curules, annulos, phaleras, paludamenta, praetextas, pictasque togas, tunicasque palmatas, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas emineret. Numquid Urbis ipsius aedificia, curiam, Capitolinam arcem, templaque Statoris Iovis ceterorumque deorum, et illud, quod adhuc durat, maximae cloacae portentum rudes facere potuissent homines atque imperiti? Quid ea, quibus Roma ingens domi militiaeque facta quotannis, quotidie crevit?

Haec non verborum testimonia sunt, sed testimonia factorum, quibus necessum est supponere causas pares effectibus, causas quibus populus late rex sua domi iura tuebatur, quum extra amicis populis suppeditaret subsidium, inimicis vel proditoribus bellum intra ius fasque inferebat, nec ad internecionem, nisi lacessitus ad ultima usque saeviebat. Quin imo scimus divitibus patriciisque Romanis in more fuisse liberos in Etruriam dimittere, ut optimis disciplinis imbuerentur; magna enim sapientiae laus et fama Etruscis fuit.

At quaenam initio pueros disciplina docebat? Quaenam adolescentulos ad graviora evehebat? Quo peracto stadio, satis eruditi habebantur?

Ut hisce respondeamus, tres, ut ita dicam, divisiones aetatis imbuendae distin-

guere et enucleare debemus, quae tamen ita temperandae sunt, ut indoli Romanorum apprime conveniant, ac tempori.

Iamque hîc ponimus in ipso limine maxime apud eos fuisse robur corporis; ideoque ubi adolescentulis ea esset aetas, qua vires exercere in Campo Martio et palaestra potuissent, tantum studiis dabatur, quantum viribus non officeret exercendis, ac tantum dabatur exserendis augendisque viribus, quantum studiis disciplinisque, quibus erudiendi essent, non noceret.[1] Haec autem studia, supervacaneis quibuslibet amandatis, dividebantur in ea quae bonum patrem familias, quae callidum ducem terra marique decerent, quae oratori denique praesto essent sive in curia, sive coram iudicibus, sive coram militibus, sive coram populo aliquid ageret. Communem autem hisce arithmeticam scientiam colebant. Publici vero ludi, publicae scholae, in quas pueri confluerent, ut mos nunc est, Romae exstitisse non videntur, aut si exstiterint, certa ad nos notitia non pervenit. Hoc unum scimus, singulos patres familiarum de liberis instituendis curasse sive singuli singulis praeceptores darentur, sive praeceptori plures, qui collata stipe rependerent.[2] Studia vero, quibus alebantur primum, circa legendi scribendique artes versabantur, et, si Cornelio Nepoti credimus, non mediocriter incumbebant, ut eleganter pronuntiarentur ea, quae dicebantur latine. Cuius quidem rei testis est in tertio *De oratore* Cicero, qui monet quo delicatu sensu latinitatis et enunciationis Romani uterentur, ita ut quodcumque aut asperum aut hiulcum, aut patulum, aut hians, aut blaesum, aut peregrinum, aut rusticum, aut horridum aegre in oratoribus ferrent; passim autem in sermone domestico repudiarent.

Profecto ab initio nihil de Graeca lingua actum est, sed Latinae tantummodo vacabant, fortasse et affini Etruscae; tum primum de Graeca coeptum est, ubi Graecae coloniae sive e Sicilia, sive a Lucania in Romanam rempublicam negotiis, finibus, contentionibusque inciderunt. Atque exhinc illa grammaticorum sequentium quaestio utrum institutio puerorum e Latino potius an a Graeco sermone inchoaretur. Posthaec, pone tamen, arithmetica disciplina sequebatur, quae, meo iudicio, nonnihil difficultatis praeferre solebat; non suapte, sed notarum causa. Quod enim nunc, dispositis ad modum columnulae notis, facillime habemus, qui proprio in ordine monadas, decadas, ecatontadas, millia et miriadas habemus, aegre, immo nullo negotio possemus summam conficere, si modum eumdem Romanis characteribus sequeremur. Et si haec in addendo, quid in deducendo, quid in multiplicando, quid in dividendo? Horatius noster, etsi festivus et facetus, ut semper asperam tamen huiusmodi numerationis et computi semitam confitetur.[1]

At difficultatem difficultatibus addebat ratio ipsa numerorum duplex; nam dum Romani numeri per notas X, C, M. gradiuntur, pecunia, libra, mensura per duodecim gradiebantur, ita ut, pessumdato et subverso penitus ordine, in numeris XII, XXIV, XXXVI, XLVIII, LX... CXX... CXLIV capita computandi haberentur.[2]

Utebantur ad computum insuper quibusdam cantionibus, in quibus formulae multiplicationis, deductionis et divisionis

[1] *Romanis solemne viris opus, utile famae Vitaeque et membris; praesertim quum valeas, et Vel cursu superare canem, vel viribus aprum Possis.*

(Horat., *Epist.* lib L, 18 - Quae fusius enumerat vers. seqq.) - Cfr. etiam *Sat.* lib. I, 1, v. 25-26.

[2] Pulcre rem expedit Horatius idem in *Sat.* lib. I, 6; vv. 71-78.

[1] *De arte poëtica,* v. 325 et seqq.

[2] Cfr. scriptum Iulii Martha in Gallico commentario *Revue des cours et conférences* (xxv Apr. mcmi).

continebantur. Has pueri in scholis memoriae mandabant, ut rem familiarem vel publicam, mercaturam aut huiusmodi negotia administrantibus praesto essent. Utebantur tabula Pythagorea, prouti nostri, et praeterea modum summae ac multiplicationis per digitos enunciandum habebant, qui adhuc, praesertim apud villicos in quibusdam Italiae regionibus in more est, et certo praefixo numero decadum dextro brachio, monadum sinistro, levi negotio, eodemque brevi, vel obscuriora ostendebant, ita ut senior Plinius memoriae tradiderit hunc ritum a sculptoribus Romanis adhibitum in statuis dolandis, quippe viri, qui simulacro repraesentabantur, digitis porrectis aetatem dicerent suam.

Quum autem omnia non reipublicae instituto, sed arbitrio docentium administrarentur in disciplinis hisce tradendis, patet nullos esse libros communes et exemplares, quibus conformarentur singuli, sed omnia ad praeceptorum voluntatem libitumque confici.

Et haec hodie de prima puerorum institutione apud Romanos nos dixisse sufficiat.

C. P.

EX HISPANIA

Artium recentissima quaeque Barcinone proposita.

Spectaculum et pompa, quibus artium ex universo orbe exhibitio in insigni urbe Barcinone xiv kal. Iunias inaugurata est, animos innumerabilium civium et advenarum ita in immensae admirationis motus impulere, ita mirabilium rerum segetem, latissimum campum, amplissimam dicendi materiam praebuerunt, ut immanis rerum copia me plane inopem reddat, et nesciam unde incipiam, quidque primum, quid postremum dicam.

Plura centena hominum millia ibi collecta sunt, qui, densissimo agmine, amplissimum spatium, immensis magnificisque terminis clausum, complerunt. Post bellicosam Europae conflagrationem nullus illuxisse creditur in orbe terrarum tanti ponderis actus, nec tantam afferens utilitatem, pacis opus, summo ubique studio exoptatae atque splendoris futuri genetricis; opus, quod magno documento esse debet universo orbi, almae pacis siquidem percupido, sed dubiis affectibus ad illam conciliandam erranti. Certum quidem est, Hispaniam totam ingeniosamque Barcinonem, intra humanam recentiorum temporum culturam, nihil splendidius nec tam illustris significationis conspexisse. Sollers ingenium Barcinonensium, ad summa iugiter contendentium, palam aperteque ostensio haec detegit, et maxima eisdem laus debetur, quod in sua urbe claros legatos omnium gentium, etiam inter se opinionibus, religione, moribus, negotiis, dissitarum, coniunxerint. Ipsa vero civitas exemplo praeivit. Omnibus enim accolis, etiam inter se nullo vel tenuiori amicitiae vinculo connexis, una fuit mens, una supremaque voluntas procurandi unanimi conatu faustisque successibus felicem rei exitum. Nobilis et plebeius, consultus iuris et actor causarum, ingenuus et mercenarius, locuples et egenus, vir Deo addictus et vir incredulus, confusi, in miram convenere molem, quae, se se diffuse dilatans, rutilum difficili superavit ascensu clivum, sumptuosissimum ubi exsurgit *Palatium Nationis,* sua sublimitate spectandum, perenne virilis generositatis monumentum. Augusta Familia regia ibidem ingenti certatim plausu celebratur. Nullus fortassis princeps se se tam regem unquam sensit, quam Magnanimus Ildefonsus XIII, quum,

undique iactato flore tegente vias,

se vidit laudis curru vectum sponte populi per ora sui, manibusque circumplausum suorum, eo quod idem Regem simul et populum ardor haberet pacis et progressus, quae Barcinonis *Internationale Certamen* significat.

Etenim pius rex, laetos diffundens vultus, vix sub ingenti testudine in conclavi immenso, ore affatus amico est, et sollemnia auguralia verba vernas eunt ad auras, aureo iucundi Maii sole tepentes, statim nobilissima audientium frequentia, divino quasi afflatu ducta, vehementius permovetur, fausteque acclamat. Strepitat spatium prae plausu et clamore, personant tormenta bellica, percrepat tibiarum symphonia, imbelles columbae, pacis nuntiae, pennis se caelo credunt, eiaculantur ad aethera plumbeae glandes simulatae, immensum *sirenes* tollunt stridorem, quo pontus et omnes intremuere undae...

Haec inter, firmissima civitati subibat spes instituendi novam vivendi rationem, nobiliorem scilicet, pulcriorem, historia genereque suo magis dignam, labore atque ardore se addicendi ad res praeclaras, ad ardua, ad admiranda facinora, nobilitatam; denique eximiis virtutis, bonitatis, pietatis, religionis praesidiis munitam.

Hoc universi humani generis pacificum certamen, artis veteris et novae refertum, et ante hunc diem inauditum, haec Hispana-Europaea rerum propositio, mirum humani ingenii portentum, quae in summam hominum animos admirationem traducit, vos tandem, omnes orbis terrarum populi, invitatos vult, unaque vos secum sitis vocat, atque simul cuncta Hispania, dulcis Catalaunia munificaque Barcino, ut iter adventusque vester felix vobis faustusque sit enixe rogant.

Barcinone, XIII kal. Iunias MCMXXIX.

I. FONTS.

HORA DEI [1]

Hoc erat in votis.

Sol alme, splende fulgidior face;
vexilla nostris Pontificis simul
vento fremant, pulsentur aera
sacra diu sonitu triumphi;

voces per urbes laetitiae strepant,
plausus per orbem catholici gregis:
sacram Tiaram nunc Corona est
denique, firmiter osculata.

Maius quid umquam visere contigit?
En Dantis omen, Caesaris ut patrem
Petrum colentis, nostra in urbe
perficitur populo favente.

Augusta salve, Roma, caput recens
gentes ad omnes Italiae additae!
Tot iam viri quod somniarunt
auspiciis sequitur secundis.

Victor, serene clauditur inclitum
regnum Tui, qui perbene terminos
nostros adeptus, mente et unos
Ausonios bonus expetisti.

Rex alme, gentis percelebris memor,
aeterna mater vivere quam volet
Urbs summa rerum, perfice orbis
nostro iterum radiet nitore.

Laetare, Pastor Tu Pie, quod tuum
totum videbis nunc fidei gregem
laetum triumpho, Principatum
luce Tui nitida replente.

Ossa in sepulcris Pontificum trium,
magni Leonis, munifici Pii
nec non Sagacis, cui es secutus,
quem fremitum cineresque habebunt!

Rursus benigne das patriae Deum:
Sanctis et almis iam legionibus
spectata terra orbi quietae
iustitiae, Pie, verba dicet.

Christi Minister, qui minimum solo
regnum cupisti, maximus omnium
regnator es augustus, almus,
quippe animos moderaris orbis.

Effaris: omnes e labiis Tuis
pendent paternis, imperii Petri
dignissime heres, cuius aula
lux nitet indubiae salutis.

Laudes quis aequas dixerit et Tui,
Pii administer, qui opperiens, Petre,
horam Dei semper parasti
consilio sapienter apto?

Navis triumphans Ecclesiae Dei,
terras avorum, quas aquilae suas
olim tulerunt, o gubernet
Crux utinam Italiae vigore!

Nautae periti, quos Dominus tegit,
cursus secundi dant valide fidem:
Papae colendi quae alma sedes
filia erit Domini usque prima.

Fulgor novellus iam Crucibus sacris
urbis vetustae splendeat aureus;
Francisci et alti terra Dantis
laude sonet Domini beate.

Ex arce Petri fulgida lux Dei
orbem serenet sitque Italis bonum
omen resurgentis nitoris
vel Cruce avos superantis ipsos.

NAZARENUS CAPO.

[1] Hoc carmen delatum est muneri Pontifici Maximo, quum benigne admisit magistros discipulosque omnes Lycei et Gymnasii Nazareni de Urbe.

Si cor non orat, sine fructu lingua laborat.

Vir sine virtute semper manet absque salute.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit.

Gutta cavat lapidem, non vi, sed saepe cadendo;
Sic erimus docti, non vi, sed saepe legendo.

AESTHETICAE NOTAE

De musica. [1]

De *Harmonia*, forsan antiquis non omnino ignota, certe loquitur Isidorus (DLXX-DCXXXVI): [2] saeculo autem IX Ucbaldus divisit musicam in *vocem principalem* (melodiam) et *organum, diaphoniam, vocem organalem* (harmoniam). Ideoque studia musicae proficiebant, et tantum deerat, qui incrementa illius saeculi complecteretur et exprimeret. Tunc vero fausto auspicio ortus est Guidus Aretinus (CMXCV-MXLVII), qui, benedictino monasterio Pomposae monachus, *sex notarum scalam* proposuit, notitiam et lectionem musicae perfacilem reddidit, et ita *systema musicale* renovavit et auxit, quod in primis adhuc viget, ita ut appellari is possit musicae instaurator.

Interea ars musicalis in dies proficiebat. Saeculo XII et XIII proprie *harmonia* solidatur studio Franconis e Colonia, et vocata fuit *Discantus:* «Discantus est aliquorum diversorum cantuum consonantia, in qua illi diversi cantus per voces longas et breves et semibreves proportionaliter adaequantur et in scripto per debitas figuras proportionati ad invicem designantur.»

Discantus, musica figurata, vel *mensuralis* a Marchetto Padovano et Ioanne de Muris maius accepit incrementum.

Saeculis XIV-XV generatim *theoria musicalis* subtilibus et inextricabilibus quaestionibus involvitur. Attamen illo tempore schola Belgica principatum in musica obtinuit. Inter celebriores Belgicos musicos eminet Iusquin Des-Prez (MCCCCL-MDXXI).

[1] Cfr. fasc. sup. mensis Maii.

[2] «Harmonia est modulatio vocis et concordantia plurimorum sonorum et coaptantia». *De Originibus.*

Saeculo XVI floruit musicorum princeps Ioannes Petrus Sante, a loco natali *Palestrina* nuncupatus (MDXXVI-MDXCIV). Praenestinus hic eximius purissimusque inter musicae sacrae auctores, uti rex polyphoniae vocalis merito habetur. Innumera opera, et cuncta laudatissima, reliquit.

Sed iam a saec. IX, dum musica « classica » continetur inter templi parietes, musica liberior et profana agitat animum vulgi. Postea institutae sunt *Scholae mimorum*, seu *Minestrande*; et *Trouvères, Troubadours, Minnesänger, Menestriers, Meistersänger*, (italice *Trovatori, Menestrelli*). Musici hi errabundi, saeculo praesertim XIII, in Gallia, Germania, Italia effecerunt ut musica profana ad artis dignitatem pertingeret, atque ita theatrum lyricum, dramaticum, comicum, in consuetudinem induxerunt, quamvis nominatim ad id minime intenderent. Res tamen gradatim processit, ut saec. XV publica spectacula repraesentarentur, et exeunte saec. XVI schola Florentina communem laudem in arte theatrali promeruerit.

Attamen, Claudius Monteverdi, Cremonensis (MDLXVIII-MDCXLIII) musicus dramaticus peritissimus, prout tunc tempora ferebant, artem theatralem ita illustrem et pervulgatam suo ingenio effecit, ut exinde musica dramatica plus minusque invaluerit apud cultiores Europae civitates saeculis XVII, XVIII.

Saeculo autem XIX musica tum instrumentalis, tum vocalis sublimitatis apicem tetigit. Brevitatis causa praestantissimos tantum musicos recensemus.

Alois. Beethoven (MDCCLXX-MDCCCXXVII) Germanus, musicam instrumentalem ad summum perfectionis et maiestatis gradum evexit. Opus *Novem Symphoniae* est monumentum aere perennius. *Classicismi* formam eius opera praeseferunt.

Carolus Weber (MDCCLXXXVI-MDCCCXXVI) pater *Romanticismi* et etiam propriae conditor Germanicae scholae exstitit.

Felix Mendelssohn-Bartholdy (MDCCCIX-MDCCCXLVII) Germanus et ipse, eximius musicus in arte instrumentali et vocali, dulcedine, gratia, et elegantia formae praestat, nec non vis claritate.

Franc. Schubert (MDCCXCVII-MDCCCXXVIII) Vindobonensis, musicus lyricus: opera parvula, *Leider* dicta, tamquam virenti atque immortali corona caput eius adornant.

Fridericus Chopin (MDCCCIX-MDCCCXLIX) Varsaviensis, *musicus doloris* iure meritoque appellatur.

Ioachim Rossini (MDCCXCII-MDCCCLXVIII) Pisauriensis, musicum drama ditavit nova vita, expressione, potentia. Sui temporis musicorum facile princeps habitus est.

Vincentius Bellini (MDCCCI MDCCCXXXV) Catanensis, mens elegiaca, naturale connubium inter musicam et poësim summopere dilexit.

C. Donizetti (MDCCXCVIII-MDCCCXLVIII) e Bergomo, dramaticus facilis, varius, politus evasit.

Michael Glinka (MDCCCIV-MDCCCLVII) fuit praestantissimus inter musicos dramaticos Moscoviae.

Apud Gallos laudantur Daniel Auber (MDCCLXXXII-MDCCCLXX), Ferdinandus Hérold (MDCCXCI-MDCCCXXXIII), Adolphus Adam (MDCCCII-MDCCCLVI), Hector Berlioz (MDCCCIII-MDCCCLXIX).

R. Wagner (MDCCCXIII-MDCCCLXXXIII) Lipsiae natus, ingenio praepotens, ab imis fundamentis instaurare theatrale opus sategit. Etsi Wagneriana ratio non omnibus probetur, maximae tamen molis et ingenii eximii opus habetur ob omnibus.

Sed qui secundam saeculi XIX medietatem suo nomine implevit, fuit Ioseph Verdi (MDCCCXLIII-MCMI) Busseti apud Parmam natus. Multa eius opera universi orbis plausum meruere.

Ecclesia Christi, prout ei licuit, semper conata est ethnicorum theatra evertere, vel christianum in morem componere. Imo drama quoddam religiosum invexit, quod *Mysterium Fidei* est dictum. Huiusmodi sacrae repraesentationes iamdiu in usu, saec. XVI magnum incrementum accepere. Etenim S. Philippus Nerius auctor fuit ut Ioannes Animuccia *Laudes spirituales* componeret. Ex istis laudibus enatum est drama musicum sacrum, quod iam ab an. MDCXLV *Oratorii* nomen accepit. Tamquam primum istius musicae formae exemplar habetur « Repraesentatio animae et corporis », cuius auctor musicus fuit Aemilius Cavalieri (MDCII). Oratorium progressu temporis multum profecit labore et ingenio Iacobi Carissimi (MDCIV-MDCLXXIV), Alex. Stradella, Alex. Scarlatti (MDCLIX-MDCCXXV), Leonardi Leonis (MDCXCIV-MDCCXLIV), Händel (MDCLXXXIV-MDCCLIX), Bach (MDCLXXXV-MDCCL), aliorumque. Nostris diebus in hoc genere dramatis religiosi indubiam laudem promeruit Laurentius Perosi, Tortonae in Subalpinis ortus a. MDCCCLXXII. Hisce pariter diebus *Musica liturgica*, quae influxum profanae artis theatralis nimis subierat, auspice Pio X, ad pristinam indolem laudabiliter revocata est.

G. LEPORE.

COLLOQUIA LATINA

Peregrinus in Urbe.

Quum primum Romam perveni, in ipso *Stationis* limine, versus ad Urbem magna ex imo pectore suspiria trahens;

— En, - dixi, - en te Romae; quod diu multumque optasti!

Tunc baiuli, qui me cum vidulis saccisque onustum conspexerant, veluti ex condicto, me circumdant et vidulos arripientes ad *automobilem* currum vocibus manibusque conducunt.

Quid faciam? Eorum ductu consilioque rapior ad curriculum, et dato acceptoque diversorii nomine profectus, ad palatium perquam citissime perveni.

Erat quasi vesper, quum sol ad occasum pertingens, mirum in modum sistere videtur, ut quodammodo aeternae urbis pulcritudines admiretur, et salutaturus splendidissimis luminibus Ianiculum hilarare. Post diuturnam ab Urbe absentiam, haec atque alia, quae nugas dicetis, me admodum tenent totumque possident. Atque adeo me malo venisse alite Romam timui, et quasi moestus sum de rheda egressus.

Et ibi qui amicorum globus! Quod animorum linguarumque tripudium!

Et hilari vultu, manibus, me occupant dicentes:

— Valen'? Valuistin'?

— Ut videtis, - aio, - valeo equidem; et vos, amiculi?

— Et nos valemus; teque anxie exspectabamus.

— Quid novi habemus in Urbe?

— Nihil in praesentiarum; omnia enim pervulgatissima sunt. Sed, ut nosti, rumor gentium diu multumque durabit. Roma etenim quidquid tangit, immortale reddit.

Ibi autem in diversorio, qui hominum rumor! Quot numerantur peregrini! Quot salutantium voces per aërem exaudiuntur! Nec modo sunt Itali; sed Galli, Angli, Germani, et nonnulli vel a remotis Americae regionibus, qui Italiam petunt Urbemque sanctam, ut, labente potissimum anno novi Iubilaei omnium admissorum veniam cum indulgentiis consequantur. Et id bonum est!

Homines nostri, qui omnia quaestui habent, quique ea modo aestimare solent, quae ad opes augendas cumulandasque unice serviunt, Pontificis Maximi ingenium laudant atque ad sidera tollunt, quod tot inventis facile commerciis indulget atque favet.

Interea puer, qui abhinc paucos menses proficiscentem moerens me salutaverat, festinanter nunc adcurrit, atque laeto vultu vidulos accipit atque ordine ponit, et me recto ad cubiculum ducit.

Ibi, remotis arbitris, confidentissime dicit:

— « Quum requiem a longa coeperis ipse via » [1], ad prandium te vocabo. Videbis - quid dixi? - gustabis tute ipse quot exquisitissima obsonia paraverit coquus!

Quo facto, ego, optimam occasionem nactus, tenens forte prae manibus fasciculum, quem nuperrime *Alma Roma* edidit, ei praebens dixi: Da coquo, qui tot virtutibus culinariis praedicatur, ut mihi proxime ad caenam praeparet quod destinatur in hoc foliolo *Iudicibus mensarum elegantibus*.

Rediit mox puer, et demissis oculis respondit:

— A te, carissime, postulat coquus, ut haec verba italice vertas, quia ipse anglicam linguam ignorat.

— Anglicam, ais? Dic potius romanam! sed veterem...

Hisce positis, verba ad verba traduxi, et postero die pro pulmento offeruntur *ovi lutea in iure liquita*.

Ad primum ferculum paratus optime *pullus auratus cum pirulis oryzeis*... Ad ultimum *scriblita*, non equidem Mantuana, sed Romana potius; quae satis omnibus fuerunt, et supra.

At, at, quod feci? Me epularum magistrum constituam earumque arbitrum praedicabo? Absit longe a me hoc iudicium. Si vero convivarum voluptatem aliquantisper ex oculis desumere vales, atque ab ipsa quadam labiorum ingluvie eorum adprobationem, obsonia illa mea omnium suffragiis commendata sunt.

Ne velim me Lucullum alterum vocaveris, neve te helluonem praedicaveris, quum vix ego nominer mensarum arbiter.

Sed paulo maiora canamus.

Post prandium, mensisque remotis, magnae ad latera valvae aperiuntur et in magnam atque splendidissimam aulam ingredi invitamur.

Ibi fit virorum circulus.

Omnes confusi irruunt, et nulla habita inter se personarum ratione, omnesque pares subito familiariter colloquuntur, et altera vice argute se sollicitant ad aliquod dicendum.

Legitur in auratis litteris haec inscriptio: *Fumantibus*. Ingens aulae fornix, miro artificio depicta, habet plurimas geniorum imagines, qui plenis flores manibus per aërem spargunt et subridentes omnia introeuntibus fausta omina auspicari videntur.

Iuvenes in primis, qui officiosiores esse vel videri student, huc illuc currunt ferentes manibus magnam tubulorum tabachi copiam. Hic ab insula Cuba venisse dicitur, ille a Virginia... qui fortasse Florentiae confecti sunt!

Hoc olim viris modo officium erat; nostra vero aetate et mulieres sibi hoc vitium concedere consueverunt.

Circumfertur et electrica flamma, quo commodius fumantes hauriant tabachum... Brevi, ut

Alta iacet vasti super ora Typhoeos
Aetna

omnes inter nubila fumi disparent... Sed diversi colloquentium sermones exaudiuntur atque miscentur, et ita

Tollebant strepitum per semper luce carentem
Auram, ut arena fere turbine mota facit. [1]

[1] Haec est, conceptissimis verbis, traductio Alighierii versus

E riposato dalla lunga via...

qui pro re nata in mentem venit.

[1] Quam optime aptari videntur haec Alighierii verba:

Facevano un tumulto il qual s'aggira
sempre in quell'aria senza tempo tinta!

(*Inf. 3*).

Anglus, qui ad latera stabat, et primum in Italiam venit, omnia nostra laudanda esse praedicat:

— Viae vestrae ferreae omnium principes aestimari possunt, tum propter opificum urbanitatem, tum propter diligentiam, tum denique propter itineris suavitatem, quae maxime commendatur ob vim electricam. Vos primi in hoc artium certamine dominamini.

— Vexatio dat intellectum!

— Et ipsi currus quam commodi et plani!

— Hoc enim invento Italorum nomen late percrebrescit.

— Agrorum cultus redit et fortior in omnibus Italiae regionibus in immensum excitatur.

— Et singulae provinciae singulis apprime respondent, atque arctiori vinculo constrictae in omnium utilitatem amice coniurant. Nupero Italiae duci laus est maxime danda, qui civium praesidio advigilat, et novissime inito cum Pontifice Maximo foedere, incredibili Christiani Nominis laetitia felicium saeculorum restitutor longe lateque salutatur.

Post haec novissima verba, adclamantibus omnibus, hinc indc lapsi sumus...

SUBALPINUS.

COMMUNIA VITAE

De adversario querela.

— Adversarium habeo crudelissimum, qui nullam in me iniuriam praetermittit (qui quidquid virium habet, contra me confert; qui omnia in me conatur; qui nihil non agit, non movet, non tentat, non molitur, non machinatur ad meam perniciem). - Adversario utor infensissimo (qui irruit in me impetu quam potest maximo; qui totus ad meam perniciem incumbit). - Adversarius acerrimus me vexat (iactat; oppugnat; agitat; urget; insectatur; exagitat; persequitur; iniuria lacessit).

Titius adversarius mihi est (mihi adversatur; perniciem molitur; exitium machinatur; contra me perfide agit). - Titius totus ex fraude constans (totus ex malitia concretus; ex fallaciis conflatus) inique mihi instat; defende me ab illo.

Malevolorum vim a me arce. - Me ab inimicorum insidiis eripias (vindices; tuteris). - Adversarium illum, quem habeo gravem et infestum, vehementissime, quam potes, propulsa. - Me contra illum protegas (praesidio tegas). - Meum patrocinium (meam propugnationem; defensionem) suscipias. - Me tuendum defendendumque suscipias. - A me (pro me) contra illum stes. - Cum me sis contra illum. - Tua studia ad me tuendum conferas. - Adversus nocentem innocenti faveas (adsis; studeas; tuam operam impendas). - Innocentem me foveas (tuo studio tegas). - Pro innocente me facias.

R. — Quin etiam pugnacissime (pro virili parte) te defendam. - Te ad extremum usque sustineam. - Nihil non agam ut te tuear. - Pro viribus obnitar (pro virili obsistam) ut te defendam. - Rei tuae imminebo.

Quae mihi dixisti, animo tractabo (ponderabo; perpendam). - Mente (animo) in tuo discrimine (in tuum discrimen) insistam. - Causam tuam attentius considerabo (accuratius meditabor; intento animo intuebor; studiose cogitabo); deinde animi sensa (sensus) verbis tibi explicabo (declarabo; exprimam; eloquar; exsequar; proferam, enunciabo; exponam; expromam; aperiam). - Quiesce tu; hoc ego videbo (videro).

Ut ego quidem opinor (arbitror; sentio; ut mea opinio est; ut mea fert opinio) id tibi faciendum est, ut... - Quantum quidem assequi iudicio possum (nisi iudicio

fallor; meo quidem iudicio; mea quidem opinione; quomodo ego quidem existimo) tu debes... – Rem sic se habere puto (arbitror; opinor; existimo; autumo; censeo; iudico; sentio; reor).

Quantum ego mea opinione (sententia) auguror, res a te auctae (exauctae, amplificatae) sunt. – Habes mentem errore imbutam (erroribus implicatam) circa illum hominem. – De illo homine, quem adversarium incusas, allucinaris (errore prolaberis; duceris).

Haec una ratio mihi videtur suppetere iustae defensionis scutum, ut... – Haec una tibi restat propulsandi opportuna ratio, ut te extra quamlibet culpam ponas.

Mihi causa tua videtur nulla ratione defendi (evinci) posse (nulla probabilitate sustineri, fulciri). – Nemo hanc tuam causam ulla ratione tuebitur. – Nemo sapiens rationes tuas asseverabit.

Si me audies (si meo uteris consilio; si mihi obtemperabis) hoc in re tua facias. – Si mihi morem geres (obsequeris), optimam hanc inibis rationem. – Nihil a ratione alienum in hac tua re admittes (facies; non offendes; non cades) si...

(Ad proximum numerum).

I. F.

AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta. [1]

§ 153. – Vomitoria iuvant in asthmate humorali et stomachico, quia ea concussione e pulmonibus eiiciuntur visciditates, etc.

§ 154. – Magnam asthmatum humoralium crudorumque partem a stomacho pendere observavi; hinc iuvant pilulae de hiera, et singulo mane cochlear oximellis squillitici, super bibendo iusculum cichorearum addito pauxillo cuiusdam roborantis. Gummi ammoniaci, oximel, squilliticum, iulep tabaci in asthmate humorali et stomachico omnibus praestant.

§ 155. – Diluentia, serum lactis, viola, emulsiones seminum melonum, gelatina cornu cervi, lac in caduco pulmonium morbo, sive asthmate sicco prae ceteris iuvant. Saccarata, remediorum copia, purgantia, fugienda tamquam pestis.

§ 156. – Asthmate convulsivo laborantes melius manent aestate, quam hyeme.

§ 157. – Diarrhaeae frequenter oriuntur ex moerore et animi pathematis, suntque fere incurabiles, praesertim si causa moeroris perstiterit.

§ 158. – Perniciosae sunt diarrhaeae in morbis pectoris. Curationum diarrhaeae non incipias per adstringentia, nam introduces viscerum obstructiones et intestinorum, difficile solubiles, quibus tandem succedit hydrops pertinax.

§ 159. – Carnium esus auget diarrhaeas: cave igitur ab iis quantum poteris.

§ 160. – Masticando tota die cinnamomum et deglutiendo salivam illam aegroti ex diarrhaeis et languoribus stomachi cum dysenteria brevi sanantur.

§ 161. – In morbo ex inveteratis alvi fluxibus, dysenteria, tenesmo, relaxatione assi, etc., excipiatur per inferiora vapor therebinthinae prunis ardentibus iniectae; et sanabuntur.

§ 162. – Cave in cura dysenteriae a nimia remediorùm farragine; pauca sint et simplicia. Ideo saepissime dysenterias profligavi solo sero lactis intus dato, et per clysteres quoque iniecto. Multi auctores pro magno secreto habent hoc remedium in dysentericis.

(Ad proximum numerum).

I. Fam.

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis.

ANNALES

Conventus.

Peritorum conventui de imminuendo iuxta Germanorum rogationes pretio ipsis ad belli damna resarcienda solvendo, salutis spes necopinato supervenit Americani legati Owen Young interventu, qui novas rationes a se conceptas suppeditavit, per quas liceret Germanis, ultimis viginti et uno annis debita cum foenore « Nummariae Mensae de repraesentationibus internationalibus » exaequare. Obstitit primo Anglia, deinde recedere, iuxta saltem principia, visa est; ita ut affirmari possit consensum aliquem tandem aliquando in rem pervenisse.

Nunc vero quaestio de Rheni provincia resurgit: vacuane ab exterorum occupatione proxime ea futura erit? Certe Youngi propositio huiusdem occupationis expensas tantum usque ad proximas kalendas Septembres contemplatur.

Genevensis pariter coetus de armis deponendis in meliorem viam inductus et ipse apparuit legati Americani opera, qui nationes ad veriores animorum dispositiones de ipsa re compellavit, formasque actuosas proposuit ad finem assequendum, quas singula gubernia nunc perpendunt.

***

Civilia bella.

Civile Afganistarum bellum quasi terrae permixtio offertur. Dicunt Aman Ullah a regis munere certe sese abdicasse, atque iter, una cum suis, in Europam aggressum esse.

Seditio Berolini exarsit, superioribus kalendis Maiis, Communistarum factione auctrice, atque non sine sanguinis effusione: plures enim cives vulnera et ipsam mortem in conflictationibus passi sunt.

Laetiora, contra, e Mexico nunciantur; actiones enim traduntur initae inter Reipublicae novum Praesidem Gill, et Episcoporum legationem, ad pacem populo reddendam.

***

Varia.

Novum amicitiae foedus superiore mense Maio ictum est inter Iugoslaviam, Rumeniam et Cecoslovachiam.

In Anglia nova comitia ad populi oratores eligendos favorabilia omnino Operariorum parti (*Laboristarum* eam illic nuncupant) cesserunt.

***

Lateranensium pactionum comprobatio.

Facere non possumus quin nuncium addamus comprobationis hinc a Pontifice, inde ab Italorum rege, die VII huius mensis Iunii, factae pactionum, quae d. XI mens. Februarii p. e. ad Lateranum inter Apostolicam Sedem et Italicum regnum constitutae sunt.

Quod non Romae et Italiae tantum, sed universo Orbi felix bonum faustumque fuerit!

Poplicola.

VARIA

De falcone.

Inter aves rapaces, quae in aëre volitant, nulla falcone superbior vulgo creditur. Atqui nos videmus eum ita aucupi se obedientem praebere, ut ad unum tantum sibilum in eius humeros advolet, in manus insiliat, atque interdum etiam iam

praeda potiturus, intactam relinquat, ut pareat vocanti. Sed qui fit, ut avis tam indomita et superba adeo se docilem obsequentemque praebeat aucupi? Sunt qui dicunt rationem facillimam illius cicurandae esse eam aliquot dies inclusam tenere in fumosa fabri ferrarii officina. Falco enim micantes flammas conspiciens malleorumque strepitum exaudiens, eo pavore corripitur, ut mox ingenitam superbiam exuat. Nescio utrum id verum sit nec ne; sed si verum esset, nobis profecto documento foret, ad frangendam animi tumentis superbiam nihil potius esse, quam si illum rebus adversis urgendum tradas.

***

De leone fabellae.

Praefatio.

Docente *Gallo,* plurimum qui monui,
Et placuisse comprobarunt optimi,
Leone duce, me venire fateor
Boni magistrum moris inter homines.

Enim Gallus, inter feras domesticas,
Solet purpurea crista procedere,
Regem putare passim se communiter,
Honores sibi primos et tribuere...
Suos sic inter imperat raucisonus.

Nunc de *Leone* sic dicemus principe!
Leo bestiarum nam quae silvas incolunt,
Princeps vocatur ungulis et faucibus,
Fulvam quatit comam diadema regium,
Et ipse fremitu perturbat subditos;
Suis edictis territant ut principes.

Iustis sic positis gravibus sententiis,
Leonis mores commentabor diligens,
Aesopi ingenio, sed Phaedri versibus,
Meos quo moneam lectores aptius.
Nec me iactantia maculari pervelim,
quod imitari versus Phaedri moliar...
Multo altius, verius me posse consequi
Spero, quod frustra tentaverunt veteres.
Nec plura. Imperium Leonis incipit.

I.

Leo gravi gulae peccato plectitur.

Leo, praedam quaerens, olim famelicus,
Invenit agnum, qui pascebat gramina,
solus in agro procul a pastoribus.
Studet lanigerum carpere suis faucibus:
Ei apparet Cervus et multo pinguior...
Leo, maioris praedae desiderio,
In hunc incurrit magna cum ferocia.
Magis sed velox timidusque corniger
Raptim Leonis fugit e praesentia.
Leo sic moestus ad agnum redit denuo;
Nactus qui provvide tempus commodius
Se se recepit in praesepe sedulo;
Fauces Leonis ita evasit improbi.
At, at, cognoscens serius stultitiam,
Leo stetit, questus, laborante stomacho,
Dum totas vocibus vanis silvas replet.
Suspirans dicit perdolens haec vacuus:
«Feror qui princeps vulgo fortitudinis,
Vincor ab infimis saepe praestantia».
Ego omnes homines libenter moneo,
Spretis ne debitis, ament superflua.

I. B. F.

***

Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Hordei cremor.
Palinuruli vulgares cum pisis.
Lumbus vitulinus assus.
Acetaria ex lactucis.
Bromelia ananas in gelidam spumam redacta.

***

Iocosa.

Tuccii meditatio, facto studiorum periculo:

— Quomodo fit ut domi, si superiorum animadversionibus respondeam, increpent mihi, me puniant; in schola si animadvertente magistro taceam, ad superiorem classem minime promovear?

Tuccio condiscipulus, pileum recens emptum monstrans:

— Aspice; huius pilei fundo speculum apposuere. Ad quid, inquam?

Tuccius. — O bardum! Est ut emptor videat utrum capiti suo optime pileus aptetur!

***

Aenigmata.

I.

(a socio Michaële Fusco propositum)
Condit *prima* dapes, avido quas dente *se-* [*cunda*
cum premat impastum quatriduana fames.
Mordaces vero designat saepe lepores
syllaba bina, pater quos venusinus habet.
Vocalisque subit, crebro quae consonat: inter
vocales semper dorica verba notant.
Pars extrema? Loquax macie confecta; fre- [quenter
sordida, curva, tremens et queribunda [simul.
Perlege litterulas denas recto ordine, sodes:
Illius ecce scholae purus alumnus erit,
quam vigil instituit, passus certamina, victor
Vir pius, insignis Religionis honor.
Doctrina innumeros nec non pietate puellos
imbuit hic illic clara palaestra cito.
Hinc sacer heroum sensim prodire maniplus.
extremo Fidei germen in orbe servans:
Oris heu! trucibus forsan moritura iuventa!...
Iam *totum* quid sit, lector acute, doce.

II.

In sylvis orior vilescens; nomine bini
Attamen in bellis emicuere meo.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Liber*; 2) *Gaghates*.

Libri dono accepti

Adulfus Terralbi (Alafridus Bartoli). *Somnium Horatii.* Carmen in certamine poëtico Ruspantinio an. 1926 praemio donatum. (Florentiae, ex off. Henrici Ariani, 1929).

Fascelides. Carmen Iosephi Morabito in certamine poëtico Locrensi magna laude ornatum. – (Palmis in Brutiis ex off. A. Genovesi et Fil., MCMXXIX). Ven. lib. 2.

Chrathis. Carmen Iosephi Morabito, in certamine poëtico Locrensi laudatum. – (Indidem). – Ven. lib. 1,50.

Can. Angelus Nardi. *Ob faustissimum eventum quo inter Vaticanam Sedem atque Italiam Pius XI Pontifex et Victorius Rex foedus pacis et libertatis feliciter constituunt.* Carmen. (Romae, apud Auctorem, *Via Pietro Sterbini 9,* MCMXXIX).

Ioseph Rinaldo, *Divo Thomae Aquinati.* – Salerni, ex typis Fratrum Iovane.

L. Rubino S. I, *Il Ven. Ignazio Capizzi. – L'anima e le opere.* – Bronte, ex officina typografica sociali.

Prof. Serafino Alessandrini, *Saggio di studio comparativo fra i quattro inferni classici di Omero, Virgilio, Dante e Fénélon.* – Firmi, ex officina typografica oeconomica. (Ven. lib. 10).

G. F. Cortini, *Linaro in Comune d'Imola, Notizie storiche.* – II edizione – Imolae, Tip. A. Baroncini et filii. (Ven. lib. 5).

Novus « Almae Romae » luctus.

Dum hic *Almae Romae* fasciculus sub prelo est, funestissimum aliud nobis nuncium affertur, Herminium M. Jacobelli, post acerbissimum morbum, quem pio et aequo animo est perpessus, vita functum esse.

Fuit operis nostri intra fautores primos, quippe Latinae linguae maxime studiosus, quam diffundere sedulo sategit, in id praecipue intendens, ut ostenderet per eam omnia, vel hodiernae vitae recentissima, dici posse. Hinc opus eius *In campo latinitatis novi flores,* cuius alteram editionem, eamque magis locupletem et subtiliorem his diebus parabat.

Pax ei et requies Superum!

A. R.

PAUPERRIMUS BONORUM [1

CARMEN FRANCISCI SOFIA-ALESSIO

IN CERTAMINE POËTICO HOEUFFTIANO MAGNA LAUDE ORNATUM

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA

- 9 MAR 4[illegible]

« Demissum nobis, sodes, et prorsus egenum
Dic hominem, Pater, et rerum miracula narra.
Nonne quidem, spretis opibus, cultuque re-
[licto,
Ille nemus coluit simplex et saxa Subasi?
Pauperiemque tulit vilem, durosque labores
Pro Christo, miserisque pius succurrit et
[aegris,
Quid secum magno perculsus amore cane-
[bat? »
Haec simul in vico legio puerilis amoeno
Clamat. Namque senex tunica nigroque
[cucullo
Indutus visit parvum de more sacellum,
Quod bello pedites, freti pietate fideque,
Constituere pii, flagrantibus undique campis.
At lapis haec inscripta refert: « Hîc siste
[parumper,
Miles, funde preces, si caeli munera quaeris ».
Volverat ille quidem secum flammantia castra,
Funera, nitrata discerpta cadavera glande:
At nunc miratur, caedes ubi facta, silentes
Clivos, irriguos fontes ac florea rura.
Culmina celsa procul niveo candore renident,
Et circumvolitant volucres per cuncta canorae.
Aedes adsurgit dulci perparva Mariae
Hic, et lenta salix demissis procubat umbris:
Hic venerabundus suspendit pensile lumen,
Et pia serta dedit iam miles, opemque popo-
[scit.
Ecce Pater tandem sacratam devenit Aedem,
Infundit pinguem rorem fragrantis olivae,
Ac, moriente die, lychni simul excitat ignem:
Exigua flamma iam sacra renidet Imago.
Ecce senem pueri dextra laevaque frementes
Agmine circumdant denso: « Pater optime,
[clamant,
Dic nunc fabellas, rerum spectacula narra ».
At monachus tandem consedit limine sacro,
Iamque silere iubet pueros: favet ore corona.
Ille manu niveam barbam demulcet, et infit:
Nunc placeat memorare Virum, cui Francia
[nomen
Iam tribuit: referam vobis miracula rerum.
Olim dives erat iuvenis, luxuque trahebat
Vitam; mox pompas et inania cuncta reliquit,
Restituitque patri vestem, nudusque remansit.
Ac sibi pauperiem voluit sociare iugali
Foedere; saepe quidem gaudebat rebus in
[arctis.
Solus degebat muscosa per antra Subasi,
Indutus lacera tunica laqueoque severo
Cinctus lustrabat valles et amoena vireta.
Olli parva domus paleis et arundine tecta
Affuit, atque torus constratus stramine vili.
Abditus in silvis orabat poplite flexo,
Et faciebat amans florentes verba per agros;
Namque aderant, tamquam fratres blandaeque
[sorores,
Cuncta creata pio. Fert aspera quaeque, volutat
In gelidis sese nivibus, vel sentibus hirtis,
Ac nuda tellure cubat, dum bruma rigescit.
Aerumnasque graves praefert pannosque
[misellus,
Atque legit paucos inopes sibi rite sodales.
Non stipis aera rogat pauper, sed frustula
[panis:
Vescitur urticis; inulas et oluscula sumit.
Sic gaudet tenui victu tenuique patella;
Quin etiam patitur quandoque famemque
[sitimque

(*Ad proximum numerum*).

Dr. Iosephus Fornari, *Moderator*, *Sponsor*.

Typis Polyglottis Vaticanis.